

Pasquale II papa

D 26 (D 29 copia)

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Pasquale II papa

D 26 (D 29 copia)

1100-08

(Paschalis episcopus servus servorum Dei carissimo ac reverendissimo) fratri Petro abbati Cavensis moansterii, qui secus Salernum in honorem Sancte Trinitatis consecratum est eiusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum.

(Cum universis Sanctae ecclesiae filiis pro sedis apostolicae auctoritate) et benevolentia debitores existamus, venerabilibus tamen locis atque personis, maxime quae apostolicae sedis semper specialius ac devotius adhererunt, quaeque ampliori religionis gratia eminent, propensiori nos convenit charitatis studio imminere. Quapropter praedecessorum nostrorum apostolicae memoriae Gregorii VII et Urbani II vestigiis insistentes, Cavense cenobium, cui disponente domino praesides, iuxta petitionem tuam nos quoque praesentis privilegii pagina communimus, et ab omni tam saecularis tam ecclesiasticae personae iugo ita omnino liberum manere decernimus ut soli sanctae et apostolicae romanae ecclesiae videatur esse subiectum. Cui nimirum monasterio et Sanctae Trinitatis nomine et religionis praerogativa venerabili omnia illa monasteria et bona iure perpetuo possidenda firmamus quae supradictus praedecessor noster Gregorius VII in Celento monte, Gisulfo bone memorie salernitano principe concedente, donavit et sui ipse decreti corroboracione confirmavit, videlicet monasterium Sancti Angeli de Montecorace, monasterium Sanctae Mariae de Gulia, monasterium Sancti Archangeli, Sancti Nicholai, Sancti Magni, Sancti Fabbiani, Sancti Georgii, ecclesiam Sanctae Luciae cum cellis eorum. Nec minus etiam tibi tuisque successoribus confirmamus ecclesias quae circa (ipsum monasterium Sanctae Trinitatis sunt, videlicet ecclesiam

Sanctae Ma)riae cum casali suo, quod a te edificatum est, ecclesia Sancti Eliae, Sancti Andree de Albolae, Sanctae Mariae de Draconeia, Sancti Leonis supra fluvium Veterem, Sanctae Mariae de Betrantu, Sancti Martini ad Formam, Sancti Angeli secus Nu(ceriam; apud Roccampimontis ecclesiam Sancti) Matthaei et Sancti Iohannis; item ecclesiam Sancti Iohannis quae dicitur de Vetere, Sancti Nicholai infra civitatem Salernitanam, Sancti Maximi, Sanctae Sophiae; item in Celento ecclesiam Sancti Iohannis de Terrisino quam ipse fundasti, Sancti (Blasii de Butrano, Sancti Salvatoris de nuce; Sancti Matthaei) ad duo flumina, Sanctae Marinae de Nove; apud Tuscianum ecclesiam Sancti Archangeli, Sancti Mathie; Sancti Nicholai de Laniu; apud oppidum Cicale ecclesiam Sancti Georgii; apud oppidum Geffuni ecclesiam Sancti Mi(chaelis Archangeli, in Luceria monasterium Sancti) Iacobi; in Pratogragano ecclesiam Sancti Egidii, ecclesiam Sancte Mariae et Sancti Stephani de Iuncarico prope castrum Sancti Antimi; Sancti Petri de Oligula in territorio castris Sanctae Agathes, Sancti Blasii apud Satria(num, ecclesiam Sanctae Mariae apud Pertusiam, monasterium Sancti) Petri apud Didascaleam, Sancti Nicholai apud oppidum Mercurii, Sanctae Mariae de Rota, Sancti Petri, Sancti Benedicti de Ollano, Sancti Pauli et Sancti Petri de Renda; apud oppidum Sancti Mauri ecclesiam Sanctorum Cosme (et Damiani, et monasterium Sancti Adriani) cum cellis suis, Sancti Angeli de Mutula; Tarenti ecclesiam Sancti Benedicti cum cellis suis. Preterea quaecumque bona concessione pontificum, liberalitate principum vel oblatione fide(lium praefatum coenobium possidet vel in posterum iuste) et canonice poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus et

illibata permaneant. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat idem cenobium temere perturbare aut eius pos(sessiones auferre suisque) usibus vindicare, minuere vel temerariis vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum pro quorum sustentatione et gubernatione concessa sunt usibus omnimodis (profutura. Chrisma, oleum sanctum, consecrationes altarium sive) basilicarum, ordinationes clericorum tam in cenobio ipso quam in adiacenti villula a quocumque volueritis catholico accipietis episcopo. Ad haec adicimus ut nulli episcoporum facultas sit sine romani ponti(ficis licentia loca vestra vel monachos interdictioni vel exc)ommunicationi subicere. Obeunte te nunc eius loci abbate vel tuorum quolibet successorum nullus ibi qualibet surreptionis astutia seu violentia praeponatur, nisi quem fratres comuni (consensu vel fratrum pars consilii sanioris secundum domini D)ei timorem et beati Benedicti regulam elegerint. Electus ad romanum pontificem ordinandus accedat. Si quis vero adversus predictum monasterium iustam se putat habere (querelam et apud eiusdem cenobii abbatem vel monachos litem s)uam decidere ac diffinire voluerit?, volumus atque statuimus ut ante nos vel legatos nostros querimonia deferatur quatinus equitate iudicii sine personarum acceptione sua cuique (iustitia Deo auctore servetur. Si qua sane ecclesiastica) secularisve persona hanc nostrae constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, (potestatis honorisque sui dignitate careat, reumque se di)vino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat et a sacratissimo corpore et sanguine Dei et domini nostri redemptoris Iesu Christi aliena fiat atque in

extremo examine (districtae ultioni sibiaceat; cunctis autem eidem) loco iusta servantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus et hic fructum bone actionis percipiant et apud districtum iudicem praemia aeternae pacis inveniant. Amen, amen.

(+ Ego Paschalis catholicae ecclesiae episcopus subscripsi?) + Ego frater Oddo Hostiensis ecclesiae episcopi subscripsi + Ego Milo Praenestinus episcopus subscripsi (+ Ego Bruno Sanctae) Signinae ecclesiae episcopus subscripsi (+ Ego Teo) cardinalis Sanctorum Iohannis et Pauli de titulo Pammachii subscripsi (+ Ego Robertus) cardinalis de titulo Sancti Eusebii subscripsi (+ Ego Paganus) diaconus cardinalis Sanctae romanae ecclesiae de diaconia Sanctae Mariae Novae subscripsi Datum Salerni per manum Iohannis S.R.E. diaconi cardinalis III kal. Septembris, indictione VIII, incarnationis dominicae anno millesimo centesimo, pontificatus autem domni Paschalis secundi papae secundo. BENE VALETE